Fragmentarium

tes accesserunt ad eos. Sed mathathias et filii eius constantes
steterunt. [Fer. ii.] Et qui missi fuerant dixerunt matha
thie. Princeps et magnus es in hac civitate et ornatus filiis
et fratribus. Ergo accede prior et fac iussum regis sicut fecerunt
omnes gentes. et eris tu et filii tui inter amicos regis.
Quibus respondit mathathias. Et si omnes gentes [lc. ii.]
regi antiocho obediunt ut discedat unusquisque
a lege sua. ego et filii mei et fratres mei obediemus
legi patrum nostrorum. [lc. iii.] Propicius sit nobis deus
non est nobis utile relinquere legem dei. Non audiemus
verba regis antiochi nec sacrificabimus ydolis. [Fer. iii. lc. i.]
Ut cessavit loqui verba hec. accessit quidam
iudeus in omnium oculis sacrificare ydolis super aram in civitate
modin. secundum iussum regis. [lc. ii.] Et vidit mathathi
as et doluit et contremuerunt renes eius. Et accensus
est furor eius et insiliens trucidavit eum. et ministrum
regis antiochi occidit et aram destruxit. [lc. iii.]
Et fugit ipse et filii eius in montes et reliquerunt
quecumque habuerunt in civitate. Tunc descenderunt
multi querentes iudicium et iusticiam in deserto.
quoniam induraverunt super eos mala. [lc. iiii.] Et renun
ciatum est viris regis et exercitui qui erat in ierusalem civi
tate david quoniam discessissent viri quidam qui dissipaverunt
mandatum regis. constituerunt adversus eos prelium. et dixerunt
Resistitis et nunc adhuc exite et facite iussum regis et vivite.
Et dixerunt. Non exibimus neque faciemus iussum [l. v.] Ejus
regis ut polluamus diem sabbatorum. Et dixerunt. Moria
mur omnes in simplicitate nostra. et testes erunt super nos
celum et terra quod iniuste perditis nos. [lc. vi.] Et intulerunt
illi antiochi mathathie et filiis eius bellum sabbatis.
et mortui sunt ipsi et uxores eorum et filii eorum et pecora
eorum usque ad mille animas hominum. [Feria. iiii. lc. i.] Et cognovit
mathathias et amici eius luctum habuerunt super eos.
Et dixit vir proximo suo. Si omnes fecerimus sicut
fratres nostri fecerunt. et non pugnaverimus contra gentes
citius disperdent nos. [lc. ii.] Tunc congregata est.

https://bit.ly/44BrxgX – Leeds, University of Leeds Libraries, Special Collections, MS Ripon Cathedral Fragments/27 (Part 1), recto – Lectionarium (https://fragmentarium.ms/view/page/F-m32r/7979/63277)